

1356 dies in tutum abiit. Ante ne an post Delphini digressum oppugnatum sit oppidum, haud satis compertum habeo: variant omnino rem auctores, quos sequimur. Illud inter omnes convenit, Regem, admota testudine aliisque operibus bellicis, urbem atroci oppugnatione invasisse, atque in ipso certamine ex regiis ductoribus quendam propinquitate sanguinis Lodovico conjunctum, cum multis aliis sub ipsis mœnibus occubuisse, urbemque a Veneto strenue defensam. Fractus ad hos irritos conatus Rex, speque potiundæ urbis in præsentia destitutus, relictis ad continuandam obsidionem copiis, in Pannoniam abiit. Veneti Carrariorum injuria commoti, Marinum Maurocenum Prætorem ex Patavio revocant (habuerat Venetum magistratum ea civitas jam inde, ex quo a Mastini tyrannide Venetorum opera se in libertatem vindicarat) salem præterea eo deferri vetant, omni Patavinorum commercio suis interdiciunt. Accersiverant ad hæc stipendio ingentem Germanorum manum: quæ per Vincentinos fines progressa, ad Medoaci ripam confederat. Creverat fluvius imbris, auctus ita, ut nullo modo tunc pedibus vadari posset. Ea res coegerat Germanam cohortem tam diu in ripa fluminis sedere, quoad remittente impetu tranari possent aquæ. Quod quum ii qui in castris erant, per exploratores cognovissent, citato agmine missi sunt, qui Germanos nihil tale suspicantes opprimerent. Nec frustra res mota est: fusa est improvise hostium adventu tota cohors, magnaque ex parte cæsa. Interim Marcus Justinianus, cui Magno cognomen erat, Taurisium cum imperio copiarum omnium est missus. Domi viginti quinque viri creati, qui belli summæ præessent. Nec ita multo post induciæ cum hoste in quinque menses sunt pactæ. Legati in Pannoniam, qui cum Rege de pace agerent, missi, Andreas Contarenus Procurator, Michael Phalerius, & Bonitendus scriba. Sed ii quoque infecta re domum reversi sunt. Induciis interim exeuntibus, Seravallum in hostium potestatem venit. Sed in Dalmatia majorem omnino cladem Respublica accepit. Tota nanque belli mole in Italiam inclinante,

coa-

*Rex, Tauris-
so frustra
oppugnato,
in Panno-
niam, reli-
ctis ad obsi-
dionem co-
piis, abiit.
Veneti urbis
commercio
Patavinis
interdi-
cunt.*

*Mercenaria
Germano-
rum manus
ad Brentam
& Pannoni-
bus cæsa.*

1357